

his dispensare) ideo, &c. Nec replices, impuberibus integrum esse in hisce casibus, cum ad pubertatem pervenerint, à sponsalibus resilire absque ulla vel minima culpa. Id enim non provenit ex eo, quod istiusmodi sponsalia licita, non sint valida, & ex natura sua obligatoria; sed quia im- puberibus, sive istiusmodi, sive absoluta sponsalia contrahentibus indultum est jure positivo, favore ætatis, ut quando ad pubertatem pervenerint, valeant ab iis resilire. Cæterum quod licita, & valida sint in ratione Contractus conditionati, necnon obligatoria, ex eo patet, quod neque impuberis ante pubertatem possunt ab eis licite resilire. Et sicuti, quamvis pubertatis tempore possint licite resilire à sponsalibus absolutis, hæc tamen prius licita erant, valida, & obligatoria; ita idem quoque dicendum est de sponsalibus conditionatis; cum hoc discrimine, quod ista non sunt complete sponsalia, nec inducunt impedimentum publicæ honestatis ante purificationem, & eventum conditionis appositorum; bene vero illa, nempe absoluta. Vid. Giribaldum de Sacrament. Matrim. cap. I. dub. 7.

CAS. II. Parochus unius ex contrahentibus, extra Parœciam utriusque eos unit in Matrimonium, eisque benedicit. Q. an rite id faciat?

Resp. cum Rosignolo de Matrim. l. c. Prænot. 25. Sanchez, alisque communius, & probabilius esse, quod rite id faciat, hoc est, non solum valide, sed etiam licite, quoad unionem in Matrimonium, illicite vero quoad benedictionem solemnem fieri consuetam. Et quantum ad primam partem, in primis quoad valide, plures id definivit S. Congregatio penes Fagnanum lib. 4. in c. Quod nobis de Cand. Despons. num. 36. & 40. declarando, quod Parochus potest assistere nuptiis sui Parochiani, etiam extra Parochiam, & adhuc contradicente Parocho illius loci, ut videre est apud ipsum, & apud de Ligorio de Matr. cap. 2. dub. 1. num. 108. Et ratio est, quia hujusmodi assistentia, vel non est proprie actus jurisdictionis, sed potestis assistendi ut testis auctorabilis, ac persona specialiter deputata à Tridentino, ut volunt plures; vel si est actus jurisdictionis, ut alii dicunt, non est actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, cum fiat contrahentibus non invitit, sed volentibus, nec exigat juridicam causæ cognitionem: qui actus voluntariæ jurisdictionis potest exerceri à talem jurisdictionem habente etiam extra proprium territorium. Dicæsim, seu Parochiam, ut habetur in l. emancipati ff. de Adopt, ac tradunt Glossa in l. fin. ff. de Jurisdict. omni. Jud. ac noster Bossius de Trip. Jub. Priv. sect. 3. cas. 2. §. 6. num. 193. & seqq. & sic valide exercetur à Parocho in casu. Quod postea id ab eo fiat etiam licite, ex eo liquet, quod nec ulla lex vetat fieri hujusmodi actum à Parocho in Parochia alterius, nec proprie dici potest læsius alieni juris, seu jurisdictionis, cum alienam non usurpet jurisdictionem, sed suam exerceat, nec ulli afferat præjudicium, utpote id exercens in subditos proprios, volentes, ac sine strepitu, & forma judicii; & sic Parochus loci non nisi irrationaliter esse queat invititus quoad talem actum; quemadmodum in hac nostra Dicæsi irrationaliter esset invititus, si ægre ferret, exterrit Parochum proprii subditi confessionem excipere. Neque dicas cum

Na-

Navarro in Sum. cap. 25. num. 144. & de Despons. Clandest. consil. 4. edit. sec. aliisque, Patrum Tridentinorum mentem fuisse, quod quilibet Parochus subditorum quidem Matrimonii assistat, sed in sua Parochia, non extra, cum hoc cedat quodammodo in præjudicium habentis jus in tali Parochia in qua contractus celebratur; & Parochus extra suam Parochiam non sit persona publica, sed mere privata. Ne dicas, inquam; mens namque Patrum Tridentinorum potius fuit, quod ubilibet Parochus contrahentium, ipsorum Matrimonii assistat, cum Tridentinum loquatur indefinite. Et si expresse non dixit posse id Parochum facere etiam extra; fortasse id fuit, quia jam definitum erat à jure communi, quod actus jurisdictionis voluntariæ potest exerceri etiam extra proprium territorium. Nec ullo modo id est in præjudicium habentis jus in tali Parochia, cum non agatur de subditis istius, sed alienis, quos hic neque valide unire potest in Matrimonium absque licentia Parochi, vel Ordinarii eorumdem. Ad id postea, quod additur circa qualitatem personæ publicæ, dico, per ipsummet actum assistentiae tamquam testis principalis, auctorabilis, & ad id per Tridentinum specialiter deputati, æqualiter exercitum sive intra, sive extra Parochiam, in qualibet contractione Matrimonii, Parochum semper repræsentare, ac agere eamdem qualitatem personæ, ideoque &c. Hinc si quid probant rationes opinionis contrariae, probant, Parochum ex quadam non morali, sed mere civili convenientia probe facturum, si loci Parochum prius commonefaciat, non probant tamen, ipsum ad id teneri in conscientia. Ratio denique secundæ partis, nimirum quod non rite, sed illicite, extra Parœciam hujusmodi nuptias solemniter benedicat, ex eo inferitur, quod solemnis benedictio Nuptiarum regulariter fit intra Missarum solemnia, & sic cum quodam strepitu tangente jurisdictionem Parochi loci, proindeque hic actus fieri nequit in aliena Parochia, sine licentia ejusdem Parochi, ne oriatur confusio in Ecclesia Dei, ut prudenter inquit Rosignolus l. c. n. 6. Et de facto graviter peccare Parochum, si in alterius Parochia sponsos à se conjunctos solenniter benedicat, non semel declaravit S. Congregatio, ut refert Bossius l. c. cas. 4. num. 19. & 33.

CAS. III. Dono accepit Sempronius à Cajo par gallinarum revera putans has esse donantis; & uno in prandio easdem comedit. Nunc certior factus, quod erant furto ablatae, petit à Confessario, an si Causus pro eis Domino non restituat, teneatur ipse ad restitutionem. Quid Confessarius respondet?

Respondet, ipsum non teneri pro eis ad restitutionem, sed in dicto evenitu dare id, quod plus expendisset, si in tali prandio illud par gallinarum non comedisset. Ratio est, quia eo ipso, quod tales gallinas accepit, & commedit bona fide, tenetur ad restitutionem uti possessor bona fidei, qui, cessante bona fide, tenetur restituere rem, si extat, & si non extat, id, in quo factus est diutor ratione rei acceptæ. Atqui in casu amplius non extat par gallinarum, & factus est diutor in eo, quod plus expendisset ad tale prandium, si gallinas pro eo non habuisset: ergo restituere tenetur solum illud plus, ut docent Theologi communiter in tract. de Rest.

CAS. I. Titius vendit Cajo fundum credito, ad certum tempus solvendo; interim tamen vult percipere fructus, & hos non computare in sortem. Q. an licite?

Resp. cum dist. Vel Titius per talen venditionem intendit immediate transferre in Cajum dominium fundi, vel non. Si non, ac propriea dicit, se interim velle percipere fructus, eosque non computare in sortem; dico, ipsum in celebratione contractus posse id licite apponere, ac pretendere; cum enim eo tunc fundi sui adhuc sit Dominator, & arbiter, utique potest hunc Cajo vendere ea conditione expressa, vel tacita, quod dominium fundi penes ipsum temaneat usquequo à Cajo ipsi non solvitur premium, ac interim ejusdem fructus percipere & non computare in sortem: sive enim talis contractus in casu resolvatur in contractum Locationis usque ad solutionem pretii, ut ex l. cum manu sat. in fine, ff. de Contrah. Empt. cum pluribus tradit. Surdus decis. 305. num. 39. ac Molphei in sum. part. 2. tr. 12. cap. 5. num. 34. & 100. sive dicatur contractus Venditionis incompletus, & nondum perfectus, ut eum alii vocant; id certum videtur, quod si Titius non nisi sic cum Cajo paciscitur, & contrahit, licite potest interim percipere fructus fundi ac eos non computare in sortem: quemadmodum enim ratione pacti interim Cagus licite requinet premium, eoque fruitur, ita & Titius, adhuc Dominus fundi ratione pacti, illicite adhuc percipit fructus ejusdem fundi, eisque fruitur. Si postea per dictam venditionem intendit Titius immediate transferre in Cajum dominium fundi, dico cum Marcello Megalio 2. 2. lib. 2. cap. 6. quæst. 1. num. 19. quod nisi pretendit interim percipere fructus &c. ob aliquam sui jacturam vel lucri cessantis, vel danni emergentis, tempore contractus Cajo manifestatam, & sic refici conventam, illicite omnino; ac usurarie vult hosce fructus interim percipere, eosque non computare in sortem. Ratio est, quia sic gravatur Empor cedere ipsimet Tilio venditori ultra sortem, seu pretium debito tempore solvendum; etiam fructus fundi ad Cajum ipsum spectantes, ut pote Dominum fundi: & quidem gravatur ratione dilatae solutionis, cum justus alias titulus supponatur non intervenire. Sed hoc illicitum est, ac usurarium; hujusmodi enim cesso facta evincitur ratione Mutui, ac venditionis temporis; ergo &c. Hinc. D. Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 7. ait: Si aliquis carius velit vendere res suas, quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet; manifeste usura committitur, quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui, unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium Mutui, quod pertinet ad rationem Usuræ.

CAS. II. Excipit quis Confessionem constituti in occasione proxima, cui nequit differri absolutio sine infamia notabili. Q. quid agendum in isto casu?

Resp. cum dist. Vel agitur de constituto in occasione proxima voluntaria; vel de constituto in occasione proxima necessaria. Si primum, subdis-

distinguo: Veh hic erat conscientius; seu ab alio monitus, quoad obligacionem dimittendi talem occasionem, vel non. Si non, dico, quod si derreta signa doloris, firmiterque proponat occasionem quam primum dimittere, debet absolvit, datis ei salutaribus monitis, ipsique imposta congrua poenitentia. Ratio est, quia tunc est sufficienter dispositus ad absolutionem; cum promptius sit, statim ac novit suam obligationem, occasionem dimittente. Si vero jam erat conscientius &c. idico, attendendum esse, an deterrit extraordinaria signa doloris, nec neq. Sicutum haec data, dico, euempto tali uile posse adhuc absolvit, quia propter hujusmodi signa potest Confessarius prudenter judicare, in ipso non adesse periculum illud proximum infringendi propositum: cum talia signa indicent, eum receperisse ubiorem gratiam, qua magis constantem se geret in occasione removenda. Si vero non afferri extraordinaria signa doloris, tunc aliam reflexionem faciendam censeo, cujus nempe qualitatis sit occasio, in qua poenitentis reberitur; an scilicet sit ex iis occasionibus proximis, quæ (ut loquitur S. Carolus Borromæus in sua Instruktione pro Confessariis) sunt in esse, ut evenit cum Poenitentis ex gr. retinet domi concubinam; an vero sit ex iis, quæ non sunt in esse, ut contingit cum Poenitentis ex gr. in ludo alearum frequenter blasphemati, vel in cœpiona frequenter se inebriari. Si enim sit ex hisce postremis, dico cum S. Archiepiscopo prælaudato, quod si det vera signa doloris, quantumvis non extraordinaria, firmeque proponat occasionem dimittente, per secundam, & etiam tertiam vicem potest absolvit. Ratio est, quia eti respectu Poenitentis supponatur occasio proxima, tamen huic non est adeo obvia, & hic saltet adeo proxime in ea non versatur, sicut constiuitus in occasione primæ qualitatis; tinde facilis sperare potest Confessarius occasionis dimissionem, ac Poenitentis emendationem proindeque facilis potest etiam absolvere. Hinc satius judico, hoc in casu, secunda, aut tercia vice Poenitenti imponere satisfactionem medicinalem (ultra sacramentalem) pro casu relapsus, quam eum in absolutum dimittere; siquidem timor poenitentiae medicinalis inserviet ei tamquam frænum, reddetque occasionem de proxima remotam. E contra, si occasio sit ex iis, quæ sunt in esse, censeo, Poenitentem non esse absolvendum, sed prius ab eo occasione dimittendam, quia respectu ipsius nedium occasio est proxima, verum etiam facile obvia; & ipse in ea proxime versatur; sicutque cum in vigore permaneat triplex ille funiculus, nimurum dulcedo, illecebra, inclinatio vehemens, ac objectum ad libitum præsens, difficile rumpitur; nisi prius hoc dimittatur, ut compertum facit experientia; & ideo quando non intervenit extra ordinaria signa doloris, Poenitentis ante remotionem occasionis, non est absolvendus. Nec tamen periculum infamie notabilis cum enim Poenitens monitus de obligatione removendæ occasionis, ac potens eam removere, eamdem removere noluerit, semetipsum voluntarie reddidit indispositum ad absolutionem, sequè à semetipso posuit in eo statu, adgitque Confessarium ipsi differtre absolutionem cum infamia notabili, si hec est inevitabilis dilata absolutione. Quod si poenitens sit continuus in occasione proxima necessaria, tunc pariter est interrogandus, an prius fuerit conscientius, vel monitus quoad suam obligationem de proxima, ead creden-

dendi remotam; si non per separationem sui ab objecto, seu circumstantia extrinseca, quæ supponitur ei moraliter impossibilis, saltem quoad enervationem, & oblationem internæ illius pravæ inclinationis, & affectionis, quam ipse habet erga tale objectum: Si enim non erat conscient, vel monitus, tunc si vere doleat, ac firme proponat, omnem curam adhibere pro ea in se ener-vanda, & à se auferenda per actus internos virtutum, Sacramentorum frequentiam, vitationem periculi, & per alia media, quæ passim suggeruntur à DD. in tali casu debet absolvvi, ob rationem præfatae consimilem. Si vero jam erat conscient &c. debet attendi, an adhibere studuerit mox dicta remedia, & procurare emendationem; si enim id facere curavit, licet quandoque relapsus sit, est absolvendus, dummodo prædicta, ac uberiorem proponat adhibere diligentiam; idque etiam fieri potest per plures vices, si aliqua in eo dignoscatur emendatio. Si vero nullam, vel modicam prosequatur habere curam in adhibendis remedii, & procuranda sui emendatione, primo Confessarius difficultem se præbeat ad absolutionem impendendam; inde si perseveret eadem negligentia ac frequentia peccandi, differat ei absolutionem ex. gr. ad quindecim dies; nam si Pœnitenti in casu imminet infamia notabilis, ipse est vera, & unica causa proprii mali.

CAS. III. Concepit foemina ex illicita copula. Q. an ei licitum sit sibi mortem optare ad evitandam infamiam, vel aliud grave damnum?

Resp. licitum esse tali foeminae desiderio ineffaci sibi mortem optare ad prædictum finem, dummodo id non faciat ex impatientia, aut desperatione, sed cum humili, & debita resignatione in divinam voluntatem: ita Anacletus Theol. Mor. tract. 4. quæst. 1. num. 9. Tamburinus, Sporer, aliique comm. Ratio est, quia, etiamsi nemini liceat sibi vel alteri malum optare, quatenus malum est; tamen id licet quando id optatur quatenus bonum, & inquantum est medium conducens ad bonum finem, prout in casu conductit ad evitandam infamiam, vel aliud grave damnum; non enim in casu ipsum malum intenditur, sed bonum, nimirum ipsa bonitas finis, quæ in casu est conservatio famæ ac boni nominis, & evitatio infamiae penes publicum, vel alterius gravis damni: quod esse licitum, alibi diximus cum S. Thoma. Neque dicas, illicitum esse sibi mortem inferre, etiam ad evitandam infamiam; adeoque & sibi mortem optare ad eundem finem. Disparitas enim est, quia actualis occisio sui præsefert voluntatem absolutam, & efficacem, quæ respicit effectum à se causatum, ut talem, ac in tali specie, & ab eo specificatur tamquam objecto, ad quod assequendum simul etiam inquirit media. Unde, cum respicere hujusmodi effectum, ut talem, ac inquirere media ad illum causandum, ut paret, sit malum gravissimum, nimirum quod illicitum sit sibi mortem inferre, in hoc etenim sensu, nempe desiderio efficaci, neque illicitum est sibi mortem desiderare, cum sit, ipsum malum positive, & formaliter intendere; quod non licet etiam ad vitandam infamiam, vel aliud grave damnum; etenim non sunt facienda, nec intendenda mala, ut eveniant bona. Et illicitum quidem est intendere minus malum, quatenus minus, non vero quatenus formaliter malum. Foemina è contrario sibi in casu mortem optans ad evitandam infamiam, vel aliud grave damnum, eam sibi non op-tat

tat voluntate absoluta, sed conditionata, ut dictum est; nec desiderio efficaci, sed ineffaci, quatenus apprehendens amissionem sui boni nominis, & infamiam, tamquam malum pejus amissionem propriæ vitæ, in necessitate alterutrius, eligit, ac optat sibi hoc minus, quam illud majus; quo modo Elias lib. 3. Reg. cap. 19. petuit animæ suæ, ut moreretur, ad evadendas Jezabelis insidias.

ME NSE M A I I.

CAS. I. Parochus vocatus ad excipiendam Confessionem foeminae graviter ægrotantis, cum sit pluribus occupatus, ad eam mittit Capellatum, qui scit, se turpia cum illa egisse, nec ullo detinentur impedimento. Q. quid agere in hoc casu debeat Capellanus?

Respondeo: vel foemina est in proximo mortis periculo, & absque graviter infamia, vel scandalo nequit Capellanus ad ipsam alium mittere, qui ejus Confessionem excipiat; & in hoc casu dico, Capellatum debere se ad illam conferre, ejusdemque Confessionem excipere, quia pro eo tunc non est privatus facultare eam absolvendi, cum Benedictus XIV. fel. rec. pro tali casu hanc ipsi reliquerit, ne in æternum ægrotantis anima pereat; ut pater ex secunda Constitutione declaratoria, hac super re edita ab eodem Pontifice. Nec refert, eumdem ibidem dicere in articulo mortis; nam mortis articulus, & proximum mortis periculum, quoad absolutionem Sacramentalem impendendam, in jure pro uno, & eodem sumuntur, ut constat ex cap. Eos qui de sent. excomm. & de communi testatur Pasqualius in Theor. & Prax. quoad constitutos in mortis periculo, quæst. 3. num. 1. in fine. Vel foemina non est in proximo mortis periculo, aut si in hoc constituta est, ipse potest, absque periculo gravis infamia, vel scandali, ad eam alium mittere, seu facere, ut iterum opportune vocetur Parochus; & tunc dico, Capellatum sub poena majoris excommunicationis, Summo Pontifici reservatae, teneri ab ejus Confessione excipienda abstine-re (ni forte à turpibus contra sextum cum ea commissis jam fuerit ab alio directe absoluta) ac seclusa infamia, & scandalo curare, ut alius, vel ipse met Parochus ejusdem Confessionem excipiat; nam ex una parte indemnet Capellanus eo tunc est ipso jure privatus à laudato Summo Pontifice facultate absolvendi complicem in peccato turpi, & in honesto contra sextum, ut liquet ex Constitutione Sacramentum Pœnitentia, & alia præfata declaratoria; ex alia, ut gerens eo tunc vices Parochi, & ab hoc substitutus ad providendum animæ ægrotantis, debet modo possibili curare, ut opportune spirituali ejusdem saluti prospiciatur, interim (si de proximo decessu meruit) ægrotam non derelinquens, ut in eventu mortis, & absentia cuiusvis alterius Sacerdotis, ipse præsto illi esse possit per absolutionem. Dixi, ni forte à turpibus contra sextum, cum ea commissis, jam fuerit ab alio directe absoluta, quia in casu jam habitæ ab alio Confessario directæ absolutionis ab hujusmodi peccatis, Capellano non est adempta facultas eamdem ab aliis, & etiam iterum ab iis ipsam absolvendi: cum Pontifex loquatur de peccatis, ob quæ incurritur periculum æternæ damnationis, ut

eruitur ex causalí concessionis factæ Confessarió absolvendi complicem in articulo mortis, absente quocumque alio Sacerdote, ne scilicet *hac occasio ne aliquis pereat*. Cum enim nemo in æternū pereat ob peccatum jam directe absolutum, & ut supponitur, rite confessum, certe de his Pontifex videtur non intelligendus, sed de nondum directe absolutis, ut etiam colligitur ex poena gravissima excommunicationis appositæ, prout alibi monimus. Unum addo, & est, quod Confessarius excipere non debet Confessiones hujusmodi peccatorum, quantumvis haec jam ab alio fuerint directe absoluta, quando eorumdem exposito vel sibi, vel penitenti ingerit aliquod periculum relapsus in aliquam pravam complacentiam. Propterea sanus erit, hujusmodi complicis talia iterum exponentes, extra casum gravis agitudinis, ad alium dimittere.

CAS. II. Si scandali, & propriæ infamiae periculum potuit dictus Capellanus avertere, & nibilominus se in necessitate constituit absolvendi complicem, ac reyera absolvit. Q. an incident in excommunicationem S. Pontifici reservatam, si ante absolutionem ipsum facti vere penituerit.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet ipsum facti vere penituerit ante absolutionem; tamen penitentia p̄mmissit quantum sufficit, ut incideret in talē excommunicationem; semel ac enim advertit, quod avertere poterat scandali, & propriæ infamiae periculum, eis pro absolutione complicis useretur opera alterius Sacerdotis, erat probe conscius, quod ad hujusmodi usum tenetatur, adhibendo congrua media, ut ille advocaretur, & exciperet Confessionem complicis, non vero ipse, cum legem pontificiam, & legis poenam non ignoraret. Cum ergo hisce non obstantibus, semetipsum constituerit in necessitate absolvendi complicem, ac per consequens congrua debita media adhibere neglexerit, jam fuit audax, & contumax inobediens contra legem, cuius propterea poenam, scilicet excommunicationem incurrit, ut expresse tradit idem Benedictus Papa XIV. de Synodo Diœces. lib. 7. cap. 14. num. 4. in fine. Neque dicas, eumdem Pontificem in sua Constitutione *Apostolici munera*, ubi distinctius hanc legem exponit, ad incursum censuræ in primis requirere, quod Sacerdos complex congrua media adhibere de industria neglexerit. Deinde quod interveniat ausus, seu præsumptio etiam in ipso actu absolutionis, & quod haec impertiatur nulla interveniente causa necessaria, cum immedia te subjungat: atque ita personæ in dicto criminè complicis, eoque in articulo ut prefertur, constituta, Sacramentalem confessionem excipere, ab eoq[ue] criminis absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumperit. Hinc cum in casu Capellanus omiserit quidem adhibere media congrua, sed non de industria; neque in eo fuerit amplius illa præsumptio in exceptione confessionis, & actu absolutionis, sed illam exceperit, & hanc impertiuerit motus necessitate, ob absentiam cuiusvis alterius Sacerdotis, necnon ex charitate, ne scilicet illa occasione complicis anima periret, ipsum propterea dici debere immunem ab excommunicatione. Ne dicas, inquam, quod enim attinet ad omissionem de industria, haec statim evincitur, cum sit reflexio ad modum, quo in casu se gessit; prævidebat enim, quod alium Sacerdotem non advocan-

do,

do, ipsi soli tale munus superflueret; dignoscebat etiam, quod absque sui, ac penitentis infamia, & sine aliorum scandalo, poterat alius Sacerdos advocari, & quod ipse vi legis positivæ tenebatur in id curam impendere, ad hunc finem adhibendo media congrua: noluit hoc non obstante id facere, & persistit ibi, usquequo ob voluntam necessitatem ipsemel complicis confessionem exceptit, eique absolutionem impedit: nonne factum ipsum, ac talis modus agendi, id ab eo peractum de industria, si non expressa, saltem tacita, manifestat? quod ideo per ipsum Legislatorem l. c. de Synodo Diœces. sufficit ad incursum talis censuræ. Quantum postea ad exigentiam præsumptionis etiam in ipsa exceptione confessionis, & actu absolutionis, eam absolute nego, dicens, nec id recte inferri ex citatis verbis; nam sensus illorum terminorum atque ita præsumperit; appellat actionem, seu modum agendi precedentem, qui ut ex dictis facile colligitur, vere, ac proprie audax est, utope directe oppositus legi, ac menti Legislatoris; non vero actionem, seu modum agendi subsequentem, qui utpote factus, in casu, ex necessitate subveniendi animæ complicis, valore non destituitur ab eodem Summo Pontifice, ea profecto de causa, ne illa occasione aliquis pereat; & si etiam hic ibi ab eo dicitur illicitus, ac si agentem non effugere penam excommunicationis, hoc ideo est, quia ibi respicit quod regulariter evenit: nam regulariter in legum transgressoribus ausus, & mala voluntas perseverat usque ad finem operis. Cæterum quod non effugiat in casu penam excommunicationis, id est, quod assertimus, quemadmodum etiam quod & casus necessitatis quandoque valeat ab ea excusare. Dico tamen, quod ista necessitas illa non est, ad quam quis voluntarie se reducit, prout fecit Capellanus in casu; sed illa quæ nos apprehendit ipsam non inquietentes.

CAS. III. Titius habet apud se depositam rem Sempronii, quam Cajus assumpsit. Q. cuinam hio ipsam restituere teneatur, Sempronio ne, an Titio.

Respondeo, per se loquendo debere illam restituere Titio. Ratio est, quia restitutio rei per se illi facienda est, qui eamdem justo titulo possidebat, & haec tenus possideret, si eidem ablata non fuisset; nam hic justus titulus in ipsum refundit quoddam jus particularē, vigore cuius alteri præferri debeat quoad talis rei possessionem. Jam vero res ita se habet in casu relate ad Titium, ratione depositi; ex quo enim legitime fuerit constitutus ejusdem depositarius, ideoque legitimis custos, spectat ad ipsum custodia illius, adeoque possessio, seu detentio: qua proinde privari non potest absque injuria, & lassione justitiae. Neque dicas, Sempronium esse dominum talis rei, ac propterea hanc ad ipsum clamare, & non ad Titium; sicque Semprionio eam esse restituendam. Contra enim, ex quo Sempronius sit ejus dominus, utique probatur, rem ad ipsum clamare tamquam ad dominum, non tamen tamquam ad legitimum possessorem; fieri enim potest, quod quis sit dominus rei, & non actualis ejusdem legitimus possessor; ut patet exemplo domus locatae, equi commoda, &c. quorum rerum usus, ac possessio spectat ad conductorem, & commodatorem; qui proprietate rei possessione, ac usu privari licet nequeunt, quamvis proprietas spectet ad dominum. Similiter ergo in casu nostro pro-

Qqq 2

prie-

prietas, & dominium rei spectat ad Sempronium, attamen rei possessio, ac detentio spectat ad Titium, cui proinde restituui debet. Dux postea per se loquendo, eo quia per accidens fieri potest, quod depositario nil intersit, quod ipsi potius, quam domino fiat restitutio: in quo casu, si id innoscatur debenti facere restitutionem, potest hic eam restituere domino; quemadmodum huic illam posset etiam restituere, si depositarius magno cum rationabili fundamento crederetur eam vel furatus, vel consumpturus, cum domini injuria. Toletus de Restitut. cap. 5. dub. 1. Layman, aliisque communiter.

M E N S E J U N I I .

CAS. I. Parochus pharmacum tradit Bertæ gravidæ, ut abortum faciat, dubitans tamen, an foetus sit animatus. Q. an effectu secuto, sit irregularis in foro interno, & externo. 2. an possit in tali dubio Parochianis præbere Sacra menta. 3. an incurrit reservationem.

Respondeo in toto rigore eum non esse irregularem tam in foro externo, quod etiam plures adversarii admittunt, quam in foro interno; ipsumque in tali dubio posse Parochianis præbere Sacra menta; nec eum incurrisse reservationem. Ratio prime partis est, quia in jure legitur quidem pluries expressa irregularitas, quando homicidium est certo sequutum, & dubium est, an quis per suam actionem istud causaverit, ut patet ex cap. 12. cap. 18. & cap. 24. de Homic. volunt. At nullibi legitur expressa irregularitas etiam in dubio, an homicidium sit sequutum, ut cum pluribus notat de Ligorio lib. 3. tract. 4. cap. 1. num. 396. Hinc, cum ex una parte irregularitas non incurritur, ni sit expressa in jure, ut habetur cap. 15. qui de sent. Excom. in 6. ex alia simus in casu dubii, an homicidium sit sequutum, eo quia Parochus dicitur dedisse pharmacum fœminæ gravidæ, dubitans (uti supponitur rationabiliter, & cum fundamento) an foetus esset animatus; ideo dicendum est, etiam effectu sequuto, ipsum in toto rigore non esse irregularem. Neque dicas, in hisce dubiis, saltem pro foro interno, tuto rem partem esse eligendam, ut inquit Clemens III. & Innocentius III. ac Honorius III. in prædictatis capitibus; nam hi omnes loquuntur in casu homicidii certo sequuti, in quo pariter sensu procedunt alii textus adducibiles pro irregularitate dubii de homicidio. Ratio postea secundæ partis infertur ex illa primæ; si enim Parochus non est irregularis, nullum afferri potest interveniens impedimentum legitimum, eumdem impediens, ne exerceat officium suum, sive quoad potestatem ordinis, sive quoad illam jurisdictionis, & sic ne Parochianis ministret Sacra menta. Nec obstat praxis sacre Pœnitentiariæ etiam in casu dispensantis cum recurrentibus; hoc enim probat ab ea concedi dispensationem, si fiat recursus, non vero necessitatem recursus pro dispensatione: quæ necesitas alioquin interveniret, si Parochus esset irregularis. Ratio denique quoad tertiam partem hæc est, quia cum inter casus reservatos hujus Diœcesis nil peculiare exprimatur quoad abortum, ejusque procurementem, ad incursum in reservationem requiritur certitudo, quod foetus expulsus esset animatus, cum

re-

reservatio hic tantum sit de casu abortivo animati foetus.

CAS. II. Proculus alterando cum Berta muliere loquaci, dixit ei: Mulier pessima, diabolus te fecit. Q. an sit blasphemia hæreticalis, ac Proculus denunciandus sit sanctissimæ Inquisitioni.

Respondeo cum distinctione. Vel Proculus talia proferens intendit, opus creationis ipsius Bertæ esse opus diaboli, & non Dei; & tunc dico, esse blasphemiam hæreticalem, eo quia tribuit creaturæ quod convenit Deo; & si hoc ita protulisset, ut hæresis suspicionem aliquam fundatam ingereret, esset utique denunciandus sanctissimæ Inquisitioni tamquam suspectus de hæresi, ut patet ex Edicto ejusdem Tribunalis. Vel intendit, ejusdem loquacitatem, ac mores tales esse, ut quoad hos, iuxta humanum dicendi modum, sit filia diaboli; & in hoc sensu dico, non esse blasphemiam hæreticalem, quia sic nec aliquid tribuit creaturæ, quod conveniat solo Deo, nec aliquid protulit, quod sit contra fidem, cum eriam Christus Dominus Joannis, cap. 8. in hoc sensu Judæis dixerit: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis perficere;* ubi Augustinus, Beda, & Maldonatus inquit, illum vocare filios diaboli Judæos, non utique natura, sed imitatione; seu non carnis successione, sed criminis, prout ait D. Ambrosius in Lucam, lib. 4. & in hoc sensu Proculus, ut constat, non est sanctissimæ Inquisitioni denunciandus; etenim tale dictum, quantumvis ab ipso prolatum etiam cum aliqua aversione contra Bertam, est potius convitium, seu contumelia; quæ est injuria, qua objicitur alteri crimen, vel alias defectus in ipsis praesentia.

CAS. III. Catus occulite se polluit in Ecclesia, ac pugnis ibidem lividum, ac rimidum effecit vultum Terenii absque effusione sanguinis. Q. an per utrumque crimen Ecclesia fuerit polluta.

Respondeo, per neutrum Ecclesiam fuisse pollutam, saltem si utrumque fuit, ac manet occultum. Et quidem quoad secundum omni dubio caret, si pugni non fuerunt adeo bestiales, ut Terentio caudent mortem; etenim hac ob eos non interveniente, non adest homicidium, nec effusio sanguinis, quorum alterutrum cæteroquin à jure in casu requiritur, ut Ecclesia polluatur. Deinde ad inducendam Ecclesiæ pollutionem requiritur publicitas, seu notorietas criminis, sive hoc consistat in voluntaria, & peccaminosa effusione sanguinis, sive in effusione seminis, seu pollutione, sive in alio quocumque crimen in jure expresso, ut de communi testatur Puteobonellus de Sacrif. Missæ, quæst. 5. art. 2. §. 4. num. 9. Intantum enim Ecclesia per hæc polluitur, in quantum per hujusmodi crimina deturatur, inhonoratur, & ab ea auferitur debitus ille respectus, seu illa reverentia, quam exigit sanctitas loci. Porro ista reverentia, ut recte notant Salmantenses Morales de Matrim. c. 15. punct. 5. num. 64. consistit in opinione hominum, sicuti fama. Hinc sicuti homines non fiant per crimina infames, nisi hæc promulgentur, ac fiant notoria; ita nec Ecclesia apud homines reverentiam amittit, aut maculam contrahit per aliquod ex prædictis criminibus in ea commissum, nisi hoc publicetur, ac fiat notorium; & sic usquequo pollutio, aut &c. est, ac manet in occulto, per hujusmodi non pollutur Ecclesia. Nec refert, quod ex. gr. pollutio, quantumvis

OC-